

conservari a Deo simul in eodem loco. Quoniam autem hæc repugnantia et impossibilitas tanta non est, ut præsentia unius corporis extensi in loco sit formaliter negatio alterius, nec negatio quantitatis vel extensionis nec præsentie illius in eodem loco, quemadmodum satis patet ex superius declaratis; haud ægre intelligitur, posse operatione divina superari repugnantiam illam.

Objic. 7.^o Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia, et tamen actu compenetrari. Atqui id fieret, si duo corpora extensa eundem occuparent locum. Ergo...

Resp. dist. Major. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in actu primo, id est actu exigere repulsionem mutuam, et tamen actu compenetrari, *neg.*, sicut non implicat ignem combustivum esse in actu primo, seu exigere combustionem, et actu non comburere. Implicat plura corpora simul esse invicem actu impenetrabilia in actu secundo, et tamen actu compenetrari, *conc.*, quia impenetrabilitas in actu secundo idem valet, ac impenetratio actualis.

Objic. 8.^o Nequit dari forma sine suo effectu formali. Atqui expulsio alterius corporis a proprio loco est effectus formalis quantitatis. Ergo nequit corpus quantum compenetrari.

Resp. dist. Major.: nequit dari forma sine suo effectu formali primario et essentiali, *conc.*; sine suo effectu formali secundario et non essentiali, *neg.* Et *contra* distincta Minore, *neg.* conseq.

Quomodo se
habent corpora
compenetrata
in ordine
ad agendum
et patiendum.

QUÆRES, quomodo se haberent duo corpora compenetrata in ordine ad agendum et patiendum.

Respondeo perinde se habitura esse, quantum est de se, ac si non essent penetrata, sive in agendo in alia externa corpora, sive patiendo ab aliis. Nihilominus si corpora ipsa compenetrata contrariis prædita essent qualitatibus, activitas unius retardaretur, ac modificaretur activitate alterius. Præterea neutrum ex corporibus compenetratis fortasse posset naturaliter loco moveri, altero immoto remanente: et ratio est, quia nequit dari in talibus corporibus motus localis, quin partes cum aliis novis partibus compenetrarentur,

neque quin novæ darentur compenetrations partium; at nulla compenetratio est possibilis sine miraculo. Ergo nisi novum Deus miraculum patret, nullum ex corporibus compenetratis loco moveri potest, alio immoto remanente (1).

ARTICULUS IV.

Utrum idem corpus possit replicari seu simul in pluribus locis adæquatis constitui.

265. Aggredimur ultimam controversiam earum, quæ respiciunt corpus extensum respectu loci. Replicatio vel multilocatio est simultanea unius ejusdemque entis existentia in duobus vel pluribus locis totalibus seu spatiis adæquatis. Loci autem totales et adæquati sunt illi, quorum singuli sufficerent enti, spectata sua natura et modo consentaneo ubicationis: ut si ponas te simul esse hic et Romæ. Itaque non sufficit ad replicationem positio rei in multis partialibus locis, ut evenit in corporibus extensis, quæ quamvis habeant partes suas in totidem locis partialibus constitutas, nequeunt dici replicata, quia ex omnium illorum complexu locus eorum totalis et adæquatus resultat. Simili modo anima rationalis non est replicata, quamvis sit tota in singulis partibus corporis; quia locus illius adæquatus est totum corpus, quod informat. Triplex distingui solet replicatio: *circumscriptiva* seu *quantitativa*, *definitiva* et *mixta*: circumscriptiva est propria dumtaxat corporum, obtinetque, cum corpus est multis in locis circumscriptivè; definitiva datur, cum res in omnibus locis est definitivè; mixta demum, cum corpus in uno loco est circumscriptivè et in aliis definitivè. Sic Dominus noster Jesus Christus est replicatus mixta replicatione, in cælo videlicet circumscriptivè, et in sacramento definitivè vel quasi definitivè seu sacramentaliter.

Jam quod possibilitatem replicationis attinet, omnes tenent unanimi consensu naturaliter repugnare. Omnes pariter catholici tenent contra Protestantes possibilem esse per divinam virtutem replicationem saltem definitivam et mixtam;

Quid
replicatio,

et quotuplex.

Quid certum
et commune
inter catholicos;

(1) Cfr. inferius dicenda de corpore replicato, in respons. ad objection. 9.^{am}

quid
controversum.

disputant autem, num possibilis sit circumscriptiva Thomistæ communiter cum S. Thoma (1), S. Bonaventura (2), Aegidio, Henrico aliisque (3), quos sequuntur Joannes a S. Thoma (4), Goudin (5), Cardin Aguirre (6) et Complutenses (7), et ex nostra Societate P. Vazquez (8) et Sylvester Mauri (9), ac recentioribus temporibus clarissimi PP. Liberator (10) et De San (11), putant replicationem circumscriptivam seu quantitativam intrinsece repugnare, ac proinde ne per divinam quidem virtutem dari posse. Alii tamen numero longe plures, auctoritate vero nominis haud impares, e converso tenent nullam cerni repugnantiam intrinsecam etiam in circumscriptiva replicatione. Ita Hugo Victorinus (12), Scotus (13), Alexand. Halensis, Richardus, Ockam, Gabriel aliique plures (14), quos sequuntur Molina (15), Fonseca (16), Card. Toletus (17), Suarez (18), Bellarminus (19), Valentia (20), Cardin. Lugo (21) Antonius Rubius (22), Conimbricenses (23),

- (1) S. Thom. 4.^o dist. 10, quest. 1, art. 3, solut. 2 ad 2.^{am}, dist. 44, quest. 2, art. 2, solut. 3, ad 4.^{am}; *Quodlib.* 1, art. 22 ad 1.^{am}; *Quodlib.* 3, art. 2. Cfr. 3 p., quest. 75, art. 1, ad 3.^{am} et 4.^{am}
- (2) 4.^o dist. 49, art. 4, quest. 1, ad 4.^{am}
- (3) Apud Suarez, *de Eucharist.* disp. 48, sect. 4, num. 2, Conimbricenses. (*Physicor.* lib. 4, cap. 5, quest. 5, art. 1, Complutens. (*Physic.* disp. 19, quest. 8, num. 71).
- (4) *Physic.* quest. 16, art. 5.
- (5) *Physic.* prim. part. disp. 3, quest. 4, art. 2.
- (6) *Physic.* disp. 26.
- (7) *Physic.* disp. 19, quest. 8.
- (8) In 3.^{am} part., disp. 189, cap. 5, 6.
- (9) *Quest. philos.* lib. 2, quest. 28.
- (10) *Cosmolog.* num. 85.
- (11) *Cosmolog.* num. 488.
- (12) *De Sacramentis*, part. 8, cap. 11.
- (13) 4.^o dist. 10, quest. 2.
- (14) Apud Suarez (loc. cit.).
- (15) In 1.^{am} part., quest. 8, art. 1, disp. 2.
- (16) *Metaphys.* lib. 5, cap. 4, quest. 4, sect. 5.
- (17) In 3.^{am} part., quest. 76, art. 8.
- (18) *Loc. nup.* cit.
- (19) *De Eucharist.* lib. 3, cap. 3, 4.
- (20) In 3.^{am} part., disp. 6, quest. 3, punct. 1, paragr. 23.
- (21) *De Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 12.
- (22) *Physicor.* lib. 4, tract. *de natur. loci*, quest. 7.
- (23) *Physicor.* loc. nup. cit.

Izquierdo (1), Francisc. Amici (2), Aegidius Conninck (3), Tirinus (4), Thomas Carleton Compton (5), Soarez lusitanus (6), Rhodes (7), Oviedo (8), Arriaga (9), Hurtado (10), Quiros (11), Franciscus Alphonsus (12), Bartholomens Amici (13), De Benedictis (14), Semery (15), Antonius Mayr (16), Ludovicus Lossada (17), et cæteri auctores nostri veteres communiter, et inter recentiores Card. Franzelin (18) P. Tongiorgi (19), cl. P. Palmieri (20), P. Pesch (21), cl. P. Mendive (22), cl. P. Lahousse (23), cl. P. Van der Aa (24). Eandemque doctrinam communiter tuentur Scotistæ, ac nominatim Mastrius (25), Pontius (26) et Frassen (27).

266. PROPOSITIO 1.^a Spectato naturali ordine fieri nequit, ut idem corpus in pluribus simul locis adæquatis existat.

Probatur experientia ipsa, quæ nobis constanter exhibet corpora uni loco addicta. Unde etiam videmus corpus alicubi

Replicatio
corporis

- (1) *De Deo uno*, disp. 5, quest. 12, prop. 7.
- (2) *De Eucharist.* disp. 19, sect. 10.
- (3) *De Eucharist.* quest. 75, art. 4, dub. 3.
- (4) *Tom.* 3, contr. 21.
- (5) *Physic.* disp. 35, sect. 3.
- (6) *Metaphys.* tract. 7, disp. 1, sect. 3, paragr. 4.
- (7) *Lib.* 2, disp. 4, sect. 6, paragr. 2.
- (8) *Physic.* contr. 15, punct. 9.
- (9) *Physic.* disp. 14, sect. 8, subsect. 2.
- (10) *Physic.* disp. 14, sect. 5.
- (11) *Physic.* tract. 3, disp. 65, sect. 2.
- (12) *Physic.* disp. 22, sect. 7.
- (13) *Physic.* tract. 20, quest. 7, dub. 1.
- (14) *Physic.* lib. 3, quest. 2, cap. 6.
- (15) *Trienn. philos.* tom. 2, disp. 7, quest. 3.
- (16) *Philos. perip.*, pars 3.^a, num. 683.
- (17) *Physic.* tract. 3, disp. 2, cap. 2.
- (18) *De Eucharist.* thes. 11.
- (19) *Cosmolog.* num. 363 seqq.
- (20) *Cosmolog.* thes. 10.
- (21) *Philosoph. naturalis*, num. 476.
- (22) *Cosmolog.* num. 99 seqq.
- (23) *Cosmolog.* num. 422.
- (24) *Cosmolog.* propos. 62.
- (25) *Physic.* disp. 11, quest. 8, num. 114 et 125 seqq.
- (26) *Physic.* disp. 15, quest. 5.
- (27) *Physic. de Loco*, quest. 2, conclus. 3.

naturaliter
repugnat.

constitutum, non posse alium locum acquirere, nisi motu locali, ac deserendo priorem. Ex qua perpetua experientia ea mentibus omnium inhaeret insita firmiter persuasio, quæcumque in locis diversis posita cernuntur, plura distincta individua esse.

Hinc ratio a priori colligi potest ex limitatione creatorum entium, quæ sicut finitam ac mensuratam habent entitatem, ita etiam certum ac limitatum locum pro cuiusque extensione assignatum habent.

267. PROPOSITIO 2.^A Non repugnat corpus in multis simul locis constitui, saltem replicatione definitiva et mixta.

Non repugnat
divinitus corpus
replicari, saltem
definitive.

Ita omnes catholici Doctores contra Novatores. Et P. Suarez alique arbitrantur rem hanc certam esse de Fide.

Prob. 1.^o Nam Fide divina certum est, Christum Dominum esse sacramentaliter plurimis in locis, et circumscriptive in cælo. Ergo non repugnat, idem corpus in multis simul locis constitui replicatione saltem definitiva et mixta. Quamquam enim distinguere velis definitivam præsentiam in loco a sacramentali, nihil id refert in hac re; siquidem in sacramentali replicatione plane continetur definitiva.

Prob. 2.^o Nulla ostendi potest contradictio in eo, quod corpus pluribus simul in locis replicaretur. Ergo...

Prob. antec. Contradictio eatenus ostendi posset, quatenus corpus præsens uni loco, eo ipso quod alibi poneretur, formaliter atque essentialiter desineret esse in primo, vel quatenus corpus multilocatum suam amitteret unitatem. Atqui ex neutro capite apparet repugnantia vel contradictio. Non ex primo: licet enim ex communi rerum ordine præsentia entis in uno loco importet negationem præsentia in alio, tamen præsentia in uno loco et negatio præsentia in alio formaliter et essentialiter non sunt identica: ac proinde nulla ostendi potest ex hac parte contradictio in eo, quod idem corpus sit simul in diversis locis. Non ex secundo. Quia aliud est entitas rei et aliud præsentia ipsius in loco. Ergo licet præsentia sint plures, non sequitur rem ipsam in se multiplicari, nam unitas vel multiplicitas rei non desumitur intrinsece ac formaliter ex loco nec ex præsentia locali, sed ex indivisione vel divisione rei secundum suam entitatem. Quare sicut ex

mutatione præsentia localis per motum non sequitur ulla mutatio secundum ipsam internam rei entitatem; ita nec ex multilocatione sequitur multilocatio ipsius rei.

268. PROPOSITIO 3.^A Nulla etiam videtur esse repugnantia in eo, quod idem corpus in pluribus simul locis circumscriptive constituatur.

Hanc sententiam vocant plures gravissimi scriptores sua ætate communem aut fere communem (1). Quidam etiam amplissimis eam verbis commendant, et severe contrariam judicant: inter quos hæc habet P. Gregorius de Valentia: Sententia negans possibilitatem circumscriptivæ replicationis «*apud nos rejici solet tamquam minus re vera congruens cum certissima fide istius magni mysterii*» (Eucharistia) (2); et Doctor Eximius: «Hanc sententiam tenent fere communiter reliqui moderni scriptores theologi, qui hoc tempore scripserunt præsertim contra hæreticos. Est enim hæc opinio non solum aptior ad respondendum hæreticis et veritatem catholicam tuendam, sed etiam iudicio meo tam necessario tamque evidenter consequens illam, ut mirabile semper mihi visum fuerit, contrariam sententiam gravissimis Theologis persuaderi potuisse» (3). Simile iudicium protulit recentioribus temporibus doctissimus Cardin. Franzelin. Quod vero hanc doctrinam secuti fuerint ii, qui contra hæreticos sæc. XVI scripserunt, patet ex Ruardo Tappero, Cardin. Allano, Claudio de Sanctes apud Eximium Doctorem, et ex Bellarmino, Valentia aliisque.

Non repugnat
replicatio
circumscriptiva.

Probatur itaque propositio 1.^o Non repugnat idem corpus replicari replicatione definitiva et mixta, ut probatum manet, ac fatentur ii, qui nobis in hanc propositionem adversantur. Ergo nec repugnat replicari corpus replicatione circumscriptiva.

Prob. conseq. Ubi quocumque potest Deus ponere corpus modo innaturali, potest etiam ponere modo naturali; plura enim miracula continet illud primum, quam hoc postremum, siquidem in circumscriptiva non est nisi solum miraculum

(1) Vide v. g. Toletum, Lugonem, Suarez.

(2) Loc. cit.

(3) Loc. cit., num. 5.

replicationis, at in definitivæ præter istud adest aliud miraculum præsentivæ definitivæ, quæ importat privationem actualis extensionis in corpore bilocato. Atqui modus existendi definitive in loco est corpori innaturalis, naturalis autem modus existendi circumscriptive. Ergo si potest Deus corpus diversis in locis constituere definitive, poterit etiam circumscriptive.

Prob. 2.^o «Si repugnaret corpus aliquod esse circumscriptive in pluribus locis, vel peti deberet repugnantia ex formali ratione quantitatis, vel ex propria ratione præsentivæ circumscriptivæ. **Non implicat ex propria ratione quantitatis;** quia illa est tantum extensio localis impenetrabilis, quæ non tollitur per duplicem præsentiam circumscriptivam. **Neque repugnat ex parte circumcriptionis;** quia esse in loco circumscriptive non dicit aliud, quam habere totum in toto loco, et singulas partes in singulis partibus loci, sive in uno loco sive in pluribus: neque negat locatum esse extra illum locum, sed tantum negat locum esse capacem alterius corporis. Probatur manifeste, quia si esse in loco circumscriptive diceret ita esse in loco, ut non sit extra; sequeretur illud, quod est in uno loco circumscriptive, non posse esse definitive extra illum locum: quod enim est in uno loco circumscriptive, in alio autem definitive, est extra illum locum, ubi est circumscriptive» (1).

Confirmatur 1.^o Possunt duo corpora circumscriptive penetrari, ut in articulo præcedenti probatum est, et ultro concedunt adversarii. Ergo etiam potest idem corpus circumscriptive replicari.

«Patet consequentia: tum quia utrobique militat eadem ratio commensurationis et adæquationis, tum quia non magis difficile apparet palmare corpus occupare spatium universi, quam totum universum in solo palmari spatio constitui; tum denique quia vix ulla est in bilocatione difficultas, quæ proportionem servata non militet in penetratione» (2).

Confirmatur 2.^o Propositio ex factis quibusdam. Christus enim Dominus, qui sedet ad dexteram Patris, apparuisse

(1) Rhodes, loc. cit., paragr. 2.

(2) Lossada, loc. cit., num. 5.

S. Paulo putatur (1): alique sancti viri, ut S. Antonius Patavinus, S. Ignatius de Loyola, S. Franciscus Xaverius, in diversis locis se videndos præbuisse narrant gravissimi de vitis eorumdem conscripti libri. Fateor argumentum hoc certum non esse; nam ea facta possunt etiam absolute aliter explicari, dicendo vel visionem illam sanctorum virorum in altero loco fuisse phantasticam, vel si fuit realis, productam fuisse per miraculosam impressionem specierum sensibilium, vel forte non terminatam fuisse ad idem ipsum verum corpus alibi existens, sed ad aliud in ejus similitudinem opera angelorum conformatum ex aëre aliave subtiliore materia, fere sicut solent a Theologis declarari apparitiones Christi Domini, vel angelorum, qui se quandoque conspiciendos exhibent. Nihilominus communis persuasio fidelium ea semper fuit, ipsos Sanctos viros duplici loco præsentibus miraculose fuisse: quæ persuasio vim suam obtinere debet, donec ostendatur repugnantia replicationis circumscriptivæ.

Confirmatur 3.^o Denique ex eo, quod vix ulla fieri contra istam doctrinam difficultas potest, quæ non retorqueri possit contra definitivam ac mixtam replicationem, vel contra compenetrationem circumscriptivam, ut facile quisvis potest experiri.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

269. **Objic. 1.^o** Implicat aliquid esse unum simul et plura. Atqui tale esset corpus replicatum. Esset videlicet unum ex suppositione; esset autem plura, quia plura sunt, quæ loco separantur. Est enim illud principium certum, et ab omnibus communiter admissum, quæ loco separantur, entitate quoque separari. Ergo replicatio corporis saltem in locis dissitis repugnat.

Resp. conc. Major., neg. Minor.

Probationem Minoris *disting.* quoad alterum membrum. Ea sunt plura, quæ loco separantur, si nullum interveniat miraculum, *conc.*; interveniente miraculo, *neg.* Corpus itaque replicatum re vera entitative ac in se indivisum est, et solum divisum est secundum locum, seu est unum ens in

(1) Act. Apost. cap. 9, v. 5. Cfr. 1. Cor. cap. 15, vers. 8.

multis locis invicem divis. Unde distinctio ac diversitas vel multitudo locorum principium est non *metaphysice*, sed *physice* dumtaxat certum ad asserendam multitudinem ac diversitatem entium in iisdem locatorum.

Objic. 2.^o Repugnat aliquid esse extra proprium locum: nam esse extra proprium locum importat non esse in illo. Atqui corpus replicatum reperitur extra proprium locum. Ergo.

Resp. *dist. Major.* Per illam præsentiam, per quam ad suum locum res refertur, *conc.*: per aliam distinctam; *subdist.*: naturaliter, *conc.*; divina virtute, *neg.*

Dist. pariter rationem adjunctam. Formaliter atque essentialiter, *neg.*; arguitive, *subdist.*: spectato naturali ordine, *conc.*; ratione habita virtutis divinæ, *neg.*

Et *contradist. Minore, neg. conseq.*

Objic. 3.^o Implicat aliquid: α) separari ac distare a seipso, β) vel moveri simul motibus contrariis. Atqui corpus replicatum: α) separatur, ac distat a seipso: itemque β) posset moveri motibus localibus contrariis. Ergo...

Resp. ad α) *dist. Major.* Repugnat aliquid separari, ac distare a seipso entitative, *conc.*; localiter, id est repugnat loca, quibus eadem res præsentiam exhibet, distare inter se, *subdist.*: naturaliter, *conc.*; divina virtute, *neg.* Itaque corpus replicatum non distaret a se neque a locis, in quibus esset, sed loca distarent invicem.

Et *contradistincta Minore, neg. conseq.*

Dices. Distantia locorum fundat relationem realem inter res in illis locatas. Atqui realis distantia postulat distinctionem extremorum relatorum. Ergo res in diversis locis constitutæ, diversæ esse debent etiam entitative.

Resp. *dist. Major.* Distantia locorum fundat realem relationem inter res in illis locatas, si sunt distinctæ, *conc.*: si non sunt distinctæ, sed est una eademque res in diversis locis constituta divinitus, *neg.*

Et *concesa Minore, neg. vel dist. ut supra conseq.*

Ad β) *dist. Major.* Repugnat aliquid moveri simul motibus contrariis, secundum quod est in uno eodemque loco, *conc.*, secundum quod est in diversis locis, *neg.*

Et *contradistincta Minore, neg. conseq.* Quod enim corpus replicatum moveri possit, tandem nihil aliud importat,

nisi quod diversas successive replicationes haberet possit: id quod non magis repugnat, saltem per divinam virtutem, quam quod corpus in duobus tantum locis permanenter replicatum quiescat (1).

Objic. 4.^o Si corpus replicari posset, idem locus esset, et non esset adæquatus. Esset adæquatus, ex suppositione; quia quilibet ex locis, quibus res replicata præsentiam suam exhibet, adæquatus ac sufficiens illi supponitur. Non esset adæquatus, quia nequit esse adæquatus locus, ultra quem res alium præterea locum habet: ideo enim v. g. digitus non est locus adæquatus animæ, quia anima est etiam extra digitum. Atqui repugnat eundem locum esse simul, et non esse adæquatum. Ergo...

Resp. *dist. Major.* Idem locus esset, et non esset adæquatus naturaliter, *neg.*; esset adæquatus naturaliter, et non adæquatus per divinam virtutem, *conc.*

Et *contradist. Minore, neg. conseq.* Locus enim adæquatus non est simpliciter ille, extra quem res nullo modo est, sed ille, extra quem naturaliter non est. Unde digiti exemplum non est ad rem.

Objic. 5.^o Si posset corpus in duobus simul locis constitui, posset etiam esse ubique; si enim semel concedatur possibilitas replicationis, nulla afferri potest limitatio in locorum numero. Atqui aperte repugnat corpus esse ubique: eo enim ipso redderetur immensum, immensitas autem est attributum solius Dei: unde etiam renovaretur error ubiquistarum. Ergo non minus repugnat corpus constitui in duobus locis.

Resp. *dist. Major.*; ex natura sua, *neg.*; ex bonitate ac potentia Dei, *conc.*

Contradisting. Minor. ejusque probationem. Immensitas enim non est confundenda cum mero facto ubiquitatis. Ubiquitas est præsentia in omnibus locis; immensitas vero non est sola præsentia ejusmodi, sed interna et ineluctabilis exigentia præsentiam exhibendi omnibus prorsus locis et entibus. Quamobrem immensitas, utpote quæ ex infinita perfectione Dei efflorescit, non potest ulli enti creato communicari; potest autem ubiquitas absolute loquendo, ex

(1) Cfr. inferius dicenda numero sequenti, *Dico 2.^o*

bonitate potentiaque divina. Illud etiam, quod de ubiquistarum errore objicitur, non est ad rem. Nam ubiquistæ contendent Christi Humanitatem de facto esse ubique, et quidem non ex dono gratuito Dei, sed ex jure fundato in unione hypostatica Verbi divini.

Objic. 6.^o Implicat rem eandem esse simul in diversis temporibus. Ergo et in diversis locis.—**Resp. neg. parit.** Nam tempus essentialiter importat successionem prioris et posterioris; ac proinde unum tempus vel pars temporis essentialiter importat negationem alterius. Secus autem dicendum est de loco, ut satis constat ex dictis.

Objic. 7.^o Si corpus replicari posset circumscriptive, circumscriberetur simul loco, et non circumscriberetur. Atqui hoc contradictorium est. Ergo... **Prob. Major. Circumscriberetur,** quia est circumscriptive; **non circumscriberetur,** quia esset extra suum locum: quod autem loco circumscribitur, non est extra locum.

Resp. 1.^o retorqueo argumentum in replicatione definitiva, quam adversarii amplectuntur. Si enim corpus posset definitive constitui pluribus in locis, definiretur simul loco, et non definiretur: quod non minus implicat, quam quod circumscribatur, et non circumscribatur.

Resp. 2.^o neg. Major. quæ ludit in voce, supponitque sensum alienum a communi auctorum intelligentia. Esse enim circumscriptive in loco non significat, ita rem uni loco affigi, et adstringi, ut extra illum nullo prorsus modo, etiam divinitus, constituatur. Si hæc foret vocis istius significatio, quis sanus posset inquirere, utrum corpus possit replicari circumscriptive? Immo si talis esset vocis significatio, neque posset corpus mixta replicatione replicari, ut per se patet. Corpus ergo circumscriptive locari, secundum communem vocis significationem non est uni loco essentialiter adstringi, sed tantum in loco constitui extenso et quantitativo modo. Concedimus proinde, corpus circumscriptive locatum alicubi, ita intra illum coerceri, ut *naturaliter* nequeat simul alibi esse quocumque modo, non solum quantitative, verum ne definitive quidem nec sacramentaliter. At quod corpus circumscriptive locatum, ita loco uni circumscribatur, ut essentialiter illi soli alligetur, nec possit alibi simul esse simili

modo vel per divinam virtutem, nec potest probari ex etymo et analogia vocum *circumscriptive* et *circumscribere*, nec potest a nobis concedi absque idonea probatione: idque si verum foret, non minus repugnaret corpus alicubi circumscriptive locatum alibi definitive replicari.

Instabis 1.^o Repugnat aliquid loco commensurari, et non commensurari. Atqui si circumscriptive replicaretur, commensuraretur loco, et non commensuraretur. Nam esse circumscriptive idem valet, ac commensurari loco, siquidem locus est locato æqualis. Quod vero est multis in locis circumscriptive, non commensuratur uni loco, cum sit extra illum, et pari modo locis aliis commensuretur. Ergo... **Et confirmatur,** quia effectus formalis crescere nequit, non crescente forma. Cum ergo localis extensio et circumscriptiva præsentia in loco sit formalis effectus quantitatis, non potest crescere, aut multiplicari, eadem remanente quantitate.

Resp. 1.^o retorqueo argumentum in compenetratione circumscriptiva, quam tuentur nobiscum adversarii. Nam non minus corpora compenetrata dicenda sunt commensurari loco, et non commensurari: commensurantur quidem, quia singula sunt extenso modo et æqualia loco; non commensurantur autem, quia unus locus nec est mensura duorum corporum ejusdem secum dimensionis, neque æqualis utrique simul.

Resp. 2.^o dist. Majorem. Repugnat corpus loco commensurari simul et non commensurari secundum eandem rationem, *conc.*; secundum diversam, *neg.* Et *contradistincta* Minore, *neg.* conseq.

Duo possunt considerari in corpore mensuranda cum loco: entitas corporis cum sua quantitate, et actualis ipsa et formalis extensio, quam probavimus a quantitate differre, et in complexu diversarum ubicitationum partium consistere. Itaque corpus cum sua quantitate etiamsi replicetur, non mensuratur nisi unico loco, quia mensura illius est naturalis exigentia tantæ extensionis in longum, latum et profundum, quanta est superficies loci ambientis. Exigentia enim hujusmodi non augetur per replicationem, sicut nec e converso imminuitur per compenetrationem, sed eadem prorsus permanet. Unde corpus quantum hoc pacto entitative

consideratum, uni tantum loco commensuratur, et non duobus. At vero mensura corporis replicati secundum actualem suam extensionem inspecti, jam non est unus dumtaxat locus, sed plures, quia tale corpus per divinam omnipotentiam habet partes non semel tantum, sed pluries ubicatas præter naturalem exigentiam.

Ad confirmationem disting. antec. Effectus formalis primarius, *trans.*; secundarius, qualis est actualis extensio respectu quantitatis, *subdist.*: naturaliter, *conc.*; per divinam virtutem, *neg.* Effectus enim formalis secundarius, sicut impediri penitus potest divinitus, ita etiam variari.

Instabis 2.^o Effectus formalis secundarius multiplicari nequit, quin multiplicetur primarius. Ergo si extensio actualis, quæ est secundarius effectus formalis quantitatis, multiplicatur in replicatione, debet etiam quantitas ipsa corporis replicati multiplicari; aut si hæc non multiplicatur, neque illa, atque adeo non potest dari replicatio circumscriptiva.

Resp. dist. antec. Non multiplicato primario, non potest multiplicari secundarius effectus formaliter sumptus seu in ratione effectus secundarii, *conc.*; materialiter vel specificative sumptus, *neg.* Et *neg.* conseq. «Formalis effectus secundarius in *esse* talis connotat exigentiam formæ vel effectus primarii, cui naturaliter debetur: unde nequit in *esse* talis multiplicari, quin multiplicetur exigentia prævia, quæ in forma vel in ejus primario effectu consistit. Potest tamen multiplicari specificative, seu materialiter: id est illa entitas vel privatio, quæ de se petit existere per modum effectus secundarii, sive ad exigentiam formæ, potest divinitus multiplicari, quamvis a forma non exigatur, nec sit effectus formalis secundarius hic et nunc. Atque ita contingeret in casu questionis, non enim nisi unica extensio esset formaliter effectus secundarius quantitatis; altera vero produceretur a Deo præter, immo contra naturalem quantitatis exigentiam. Sic expulsio frigoris a subjecto potest esse major, quam quæ debetur unico gradui caloris introducto: nec tunc expulsio frigoris, quatenus indebita, dicitur effectus formalis secundarius caloris» (1).

(1) Lossada, loc. cit., num. 20.

Objic. 8.^a Si possibilis foret circumscriptiva replicatio, duo loca eidem corpori cõextensa penetrarent; sicut e converso duo corpora eidem cõextensa loco penetrantur.

Resp. neg. sequelam, quia penetratio consistit in præsentis vel ubicationibus duarum rerum respondentibus eidem parti spatii imaginarii. Et ejusmodi præsentia conveniunt duobus corporibus eidem cõextensis loco seu compenetratis: non tamen conveniunt duobus locis eidem corpori cõextensis, et propterea loci non compenetrantur. «Sic si duo corpora sacramentaliter existerent in eadem hostia, penetrarentur; et tamen duæ hostiæ seu species utriusque continentes sacramentaliter idem corpus, non penetrantur» (1).

Objic. 9.^a Cum P. Vazquez (2). Ponamus lapidem circumscriptive replicatum super duas trabes: lapis ille, subductis trabibus, neque naturaliter posset decidere in terram, neque naturaliter manere suspensus in aère: quod repugnat. Ergo lapis ille non posset ita replicari; et consequenter nec aliud corpus replicari circumscriptive potest. **Non posset naturaliter decidere**, quia si naturaliter posset decidere, posset naturaliter duplicem ubicationem acquirere motu suo: quod absonum est. Aliunde vero non est ratio, quare ex uno potius, quam ex alio loco decideret: ergo nec potest dici, quod talis lapis ex uno dumtaxat loco decideret. Ergo nullo modo posset naturaliter decidere. **Non posset autem naturaliter manere suspensus in aère**, ut per se patet ex lege gravitatis.

Resp. 1.^o Difficultas petitur ex casu particulari, atque adeo nequit evincere repugnantiam replicationis circumscriptivæ in alio casu vel hypothesi diversa. **Resp. 2.^o** Quidquid sit, utrum lapis ille naturaliter decideret, posset certe divinitus vel ex utroque loco cadere, vel ex neutro, vel ex uno cadere et in altero suspensus manere. **Resp. 3.^o neg.** antec. et eligo primum disjunctionis membrum. Ad cujus probationem dico, quod si Deus vellet conservare miraculum replicationis pro sequentibus instantibus, lapis ex utroque loco caderet, vel etiam manens in uno, caderet ex altero,

(1) Lossada, loc. cit., num. 16.

(2) Loc. cit. cap. 6.

prout ipsi Domino placuerit. Si autem Deus nollet miraculum protrahere, caderet lapis ex uno dumtaxat loco, ex eo videlicet, quem Deus ipse determinaret; quia in eo eventu lapis utrobique descensum exigeret, unicum tamen, quia unicus sufficit ad satisfaciendum naturali exigentiæ vel legi. Cui quia æque satisfaceret, ex quocumque loco lapis descenderet, nequit ipsa natura locum descensus determinare, et propterea id spectat ad Deum; sicut ob similem rationem diximus in *Ontologia*, Deo tribuendam esse determinationem effectus hujus præ alio individui in operationibus causarum secundarum (1). Si ergo Deus decernat lapidem descendere ex loco A, illinc descendet naturaliter, amittendo præsentiam in loco B (2). Plura de his vide apud Suarez, Lossada, Mayr, ac reliquos auctores superius laudatos.

Objic. 10.^o Si Deus rem aliquam replicaret, id faceret vel per actionem productivam ipsius *esse* rei, vel per actionem pure productivam ubicationis. Primum horum videtur dici non posse, quia secus res replicata iterum produceretur. Nec alterum, quia non videtur minor efficacia requiri ad rem replicandam, quam ad esse eidem jam destructæ restituendam. Atqui ad hoc profecto actio productiva ipsius *esse* requiritur. Ergo nullo modo potest Deus corpus in pluribus simul locis constituere.

Respondeo, hanc difficultatem varie ab auctoribus solvi. P. Aegidius Connink (3) et P. Rhodes (4) existimant corpus in diversis simul locis constitui per novam et distinctam productionem illius; quare replicationem esse veram rei reproductionem, et consequenter corpus replicatum esse virtualiter multiplex. Quam doctrinam assumit P. Connink tamquam fundamentum ad probandum id, quod Suarez (5), et multi alii Doctores, aliis innixi rationibus, docent, ad conversionem eucharisticam substantiæ panis et vini in Corpus

(1) Vide *Ontolog.* num. 306 pag. 1142 seqq.

(2) Vide Lossada (loc. cit. num. 14), et Mayr (loc. cit., num. 711, 712). Cfr. Card. Lugo (*de Eucharist.* disp. 5, sect. 1, num. 23 seqq.).

(3) Apud Cardin. Lugo, *de Eucharist.* disp. 7, sect. 3, num. 39.

(4) Loc. cit. sect. 6, paragr. 1.

(5) *De Eucharist.*, disp. 50, sect. 4.

et Sanguinem Christi Domini, requiri actionem aliquam novam terminatam ad ipsam substantiam Corporis Christi, quæ ac io quamvis proprie productio non sit, quia Corpus Christi independentem ab illa jam existit, sed conservatio, talis tamen est ex natura sua, ut si non existeret, vi illius statim inciperet existere. Verum Cardinalis De Lugo scribit doctrinam P. Conninki relate ad replicationem esse re vera *nimis singularem* ita, ut ad eam adstruendam auctor ejus plurima Philosophiæ principia receptissima deserere coactus fuerit (1). Itaque fuse illam impugnat, ostendens vel potius supponens ad replicationem non esse necessariam actionem, quæ terminetur ad ipsum *esse* rei, sed ad novum modum præsentiae localis vel ubicationis. Hæc sententia planior ac probabilior videtur; quia si sufficienter res declaratur per productionem novæ ubicationis, non est recurrendum ad reproductionem substantialem ejusdem entis, utpote quæ præstantior est actio; non enim sunt multiplicanda vel fingenda entia sine necessitate.

Dices 1.^o doctrinam hanc supponere: α) quod replicatio importet motum vel mutationem localem: β) et quod res sit in loco præsens formaliter per modum aliquem ubicationis eidem inherenterem, cum tamen præsentia rei in loco sufficienter explicetur per hoc, quod cum loco uniat.

Resp. ad α) *neg.* assertum, quia sicut ad replicationem necesse non est rem de novo producere, quia jam existit, ita nec movere a loco, in quo prius erat, ad alterum: quia nova præsentia, quæ motu locali acquiritur naturaliter, amissa priori, divinitus acquiritur absque motu et absque prioris amissione. Ad β) *conc.* assertum, et *neg.* instantiam. Quid enim sibi vult illa unio cum loco, aut in quo illa consistit? Certum enim esse videtur rem locatam nulla physica unione cum loco conjungi. Sed jam in *Ontologia* probatum manet, *Ubi* seu præsentiam localem in modali aliqua entitate sitam esse (2).

Dices 2.^o «Si Deus Petrum existentem Lovanii velit ponere Romæ, tunc vel Deus producit illud *Ubi* romanum in

(1) Vide Lugo. ib. num. 39, seqq.

(2) Vide *Ontolog.* num. 373, pag. 1066 seqq.

Petro existente Lovanii, vel in Petro existente Romæ. Si primum: ergo *Ubi* romanum poneretur Lovanii, quod repugnat. Si secundum: ergo ante productionem illius *Ubi* Petrus supponitur Romæ. Nam vel illud *Ubi* producitur Romæ, vel alibi, vel nullibi. Alibi non potest produci, quia *Ubi* romanum alligatur Romæ: nullibi non potest, quia quod nullibi est, non est. Restat ergo, ut producatur Romæ. Ergo prius supponitur Petrus existens Romæ, quia non potest Deus aliquid hic in me producere, nisi ego hic sim» (1).

«Respondetur facile, in aliquo sensu *Ubi* romanum produci in Petro existente Lovanii, scilicet *materialiter* et *specificative*, non vero *formaliter* et *reduplicative*: hoc est *Ubi* romanum ponitur in *Petro*, qui tunc est Lovanii, non tamen ponitur Lovanii, sed Romæ. Immo ad ejus productionem non supponitur Petrus existens Romæ vel Lovanii, sed solum existens cum indifferentia ad hoc et illud *Ubi*. Non ergo sequitur bene, quod Petrus prius supponatur Romæ ex eo, quod Deus producat Romæ *Ubi* in Petro; sicut non sequitur bene, Petrum supponi calidum, quia Deus in eo producit calorem. Possumus enim eodem modo interrogare, si Deus in Petro habente frigus ut octo producat calorem ut octo, an producat calorem in Petro frigido, an in Petro calido. Ad quod responderi debet, produci in Petro antea frigido, sed tunc calido per ipsum calorem, qui producitur; atque ideo pro priori naturæ non supponi Petrum frigidum nec calidum, sed Petrum existentem. Sic producitur *Ubi* romanum in Petro non præsupposito cum *Ubi* romano, sed incipiente esse Romæ per ipsum *Ubi*: quod clarissimum est» (2). Qua de re plura videri possunt apud laudatum Cardin. De Lugo.

Objc. 11.^o Si corpus posset replicari circumscriptive, posset idem homo v. g. contrariis motibus cieri, ut Romæ sursum, hic deorsum; vel Romæ stare, hic moveri; vel Romæ caleferi, si nempe sit prope ignem, hic refrigerari, si aqua frigida abluatur; vel Romæ vivus esse vel videns, hic mortuus vel cæcus; Romæ assensum, hic dissensum præstare

(1) Ita P. Connink apud Cardin. De Lugo, loc. cit., num. 53.

(2) Card. Lugo, (ibid. num. 55). Cfr. de hac re Mastrius (*Physic.* disp. 11, quæst. 9), et Soarez lusitanus (loc. cit., sect. 4).

eidem objecto, etc. Atqui ex his contradictoria sequuntur, nempe quod idem homo simul moveretur et non moveretur, viveret et non viveret, videret et non videret. Ergo.

Resp. Ut huic difficultati satisfiat, sequens quæstio breviter enodanda est.

QUÆRITUR, utrum corpus existens duplici in loco, debeat utrobique easdem affectiones ac proprietates habere.

270. Fuse de hac re solent disputare Theologi at Philosophi in materia de corporum replicatione, ac nominatim Suarez (1) et Cardin. De Lugo (2), ex quorum doctrina, quamvis non in omnibus omnino consentiant, pauca quædam delibabimus. Et in primis prædicata vel affectiones corporis alia sunt essentialiter affixa huic determinato loco, qualis est v. g. hæc Onniensis ubicatio; alia vero non sunt affixa essentialiter loco determinato, ut v. g. vivum esse vel mortuum, sanum vel ægrotum, album vel nigrum, etc.

Dico 1.^o Accidentia essentialiter affixa loco determinato, ut sunt certa ubicatio, situs ac motus localis, communis tenet sententia, ne per divinam quidem virtutem posse cum corpore replicari.

Accidentia loco determinato affixa ne per divinam quidem virtutem possunt replicari;

Et ratio est, quia si locus vel unum *Ubi* diversum est ab alio, plane sequitur quidquid essentialiter alligatur huic spatio, non posse alligari alteri spatio, ac proinde nec poni in illo. Quare nec ubicatio romana poni potest Salmanticæ, nec situs nec motus; si enim Roma et Salmantica essentialiter distant, quomodo præsentia romana, vel situs prout Romæ habitus, vel motus per romanas plateas peractus, possunt esse præsentia salmanticensis, vel situs respondens *Ubi* salmanticensi, vel motus peractus per plateas salmanticenses? Refragantur tamen huic doctrinæ pauci quidam, quos egregie confutatos vide apud Lugonem (3).

(1) *De Eucharist.* disp. 48, sect. 5 et 6.

(2) *De Eucharist.*, disp. 5, sect. 2 et 3.

(3) Loc. cit. sect. 3. Cfr. Lossada (loc. cit. num. 29 seqq.). Vide etiam Suarez (loc. cit. sect. 5, num. 1).

possunt
tamen ea quæ
non sunt affixa
determinato
loco,

271. DICO 2.^O Quæ vero affectiones locum generatim respiciunt, non tamen locum aliquem peculiarem ac determinatum, possunt replicari, vel non replicari.

Et probatur: quia nulla est repugnancia in eo, quod relationes similes vel diversæ esse possint in eodem subjecto pro similitudine ac varietate fundamenti. Hinc corpus replicatum potest secundum unum locum esse proximum, remotum autem secundum alterum respectu ejusdem rei; vel in uno sursum, in altero deorsum; vel in uno jacere, in altero stare; in uno moveri, in altero quiescere; vel e converso in utroque loco similiter se habere; quin etiam posset contrariis motibus moveri, in diverso loco, et sibi etiam occurrere. Dubitari autem potest, utrum corpus replicatum, ex utroque loco moveri *naturaliter* posset, an vero solum *naturaliter* ex loco sibi consentaneo, ex alio vero non nisi miraculose per novum miraculum a Deo patratum. Qua de re vide, si lubet, P. Andream Semery (1).

saltem
de potentia
absoluta.

272. DICO 3.^O Loquendo de his omnibus, quæ non dependent essentialiter ab hoc loco, non repugnat DE POTENTIA ABSOLUTA, ea omnia collocari utrobique cum ipso corpore.

«Hæc est etiam communis, et probatur, quia sicut non repugnat idem corpus habere duas ubicationes in duplici loco, cur magis repugnabit colorem vel aliud accidens illius corporis habere alias duas præsentias in illo duplici loco?» (2).

(1) *Trienn. philos.* tom. 2, disp. 7, quæst. 3, art. 2, in respons. ad *Object.* 5.^{um} Cfr. hic paulo superius dicta in resp. ad *Object.* 9.^{um} Illud quoque subtilissimi et curiosi Scholastici scire voluerunt, utrum corpus replicatum, sibi ipsi occurrens, cum ad eundem locum veniret, secum compenetraretur. De quo vide, si lubet, Conimbricenses (*Physic.* lib. 4, cap. 5, quæst. 5, art. 2), et Semery (loc. nup. cit., in fine responsionis). Verum satius forte est ab his aliisque querendis abstinere.

(2) Lugo, loc. cit. sect. 2, num. 34.

273. DICO 4.^O Non repugnat DE POTENTIA ABSOLUTA poni aliquod corpus in duplici loco, et tamen prædicata et accidentia, quæ habet in uno loco, non poni in alio; dummodo illa sint a tali corpore distincta et separabilia.

Divinitus
non repugnat
corpus bilocatum
non habere
in omnibus locis
eadem
accidentia,
dummodo hæc
ad illo realiter
distinguantur.

Probatur 1.^O Quia non repugnat, immo necesse est præsentiam localem, quam corpus habet in uno loco, non haberi in alio, licet vere sit unita cum illo. Ergo non repugnabit albedinem, quam habet in uno loco, non haberi in alio. Quæ enim in hoc est major contradictio?

Probatur 2.^O Exemplo animæ rationalis, quæ quidem existit in capite et in pede; et tamen non habet in pede unionem nec aliqua accidentia (v. g. potentias sensitivas), quæ habet in capite. Ergo similiter si homo poneretur in alio loco, posset de potentia absoluta carere ibi aliquibus accidentibus, quæ hic habet.

Denique probatur 3.^O «A priori, quia præsentia corporis non est præsentia albedinis v. g., nec e contra; sed sunt duæ ubicationes distinctæ (1), vel certe loquendo de possibili, possunt esse distinctæ. Ergo potest a Deo produci secunda præsentia albedinis: in hoc enim nulla apparet implicatio contradictionis» (2).

Dices. Est in hoc aperta implicatio, quia tunc Petrus v. g. haberet, et non haberet albedinem, puta si Romæ illam haberet, non autem Neapoli.—*Resp. neg.* assertum et rationem additam; quia falsum est Petrum non habere albedinem, etiam si eam non habeat Neapoli, dummodo habeat Romæ. Hæc enim universalis propositio: *Petrus non habet albedinem*, hunc sensum reddit: *Petrus nullibi habet albedinem*. Utrum porro hæc quarta assertio ita sit universalis, ut nullam patiatur exceptionem, vide apud Cardinalem *De Lugo* (3).

Hinc inferes corpus hic et Romæ replicatum, posse de potentia absoluta, «hic esse animatum, vivum etc., et Romæ

(1) Id tamen alii negant. Cfr. *Ontolog.* num. 373, pag. 1068, paulo ante *Dices* 1.^o

(2) Lugo (loc. cit. num. 36). Et vide Suarez fusius de his disserentem (loc. cit. sect. 5, num. 5).

(3) Loc. cit. num. 37.

non animatum, nec virum etc. Quia licet nequeat corpus absolute ac sine restrictione simul esse animatum et non animatum v. g., eo quod non animatum absolute sonet carentiam animæ in subjecto specificative sumpto, potest tamen esse animatum absolute, simulque non animatum cum addito Romæ: quod additum efficit, ut sola negetur animæ præsentia romana. Notum est Summulistis, quod a termino restricto ad non restrictum non valet consequentia *negative*, licet valeat *affirmative*: quare perperam sic inferas: *Petrus non est albus Romæ: ergo non est albus*. Similiter illud corpus posset tunc dici *vivum* et *non vivum* cum addito Romæ: at non recte diceretur *mortuum*, etiam cum tali addito; quia nomine mortui videtur excludi non solum romana præsentia unionis corporis et animæ, sed etiam existentia unionis entitative sumptæ. Si tamen eo nomine intelligere velis corpus existens Romæ, ubi non est præsens anima nec unio, loquere pro libitu» (1).

274. DICO 5.^O «SI DEUS OPERETUR CONFORMITER AD NATURES RERUM, IN CASU QUO PONAT CORPUS IN DUPplici loco, debet etiam ponere utrobique ea omnia, quæ in primo loco habebat, exceptis, quæ dependent e loco ut dictum est.

Conclusio comprehendit non solum proprietates naturales, sed etiam alia accidentia communia, ut calorem, albedinem, etc.: item non solum ea accidentia, quæ haberet tunc, quando poneretur in secundo loco, sed etiam ea, quæ postea denuo acciperet per alias mutationes... (2). Probatur exemplo Eucharistiæ, in qua Christus Dominus habet ex communi Theologorum doctrina non solum passiones, sed etiam alia accidentia independentia a loco, quæ habet in cælo: quæ quidem licet vi verborum non ponantur, ponuntur tamen per concomitantiam, seu naturalem connexionem unius cum alio; et ex Tridentino ipsa rationalis anima ponitur ibi simili modo, scilicet *vi naturalis illius connexionis et concomitantia, qua partes Christi Domini... inter se copulantur* (3). Quare licet

(1) Lossada, loc. cit. num. 28.

(2) Lugo, loc. cit., sect. 2, n. 37.

(3) Concil. Tridentin., sess. 13, cap. 3.

replicatio etiam formarum et proprietatum sit absolute mirabilis, tamen supposito quod corpus replicetur, connaturalior est rerumque exigentis congruentior, ut ex verbis Tridentini colligitur. Plura dabunt Suarez et Lugo (1).

275. Colliges hinc, corpus hic et Romæ locatum, si hic calefiat, percutiatur, moriatur, etc., easdem quoque connaturalius subiturum esse Romæ affectiones mutationesve. Nec tamen inde sequetur, quod causa hic calefaciens, etc., agat in distans: «tum quia agere in distans est agere in subjectum non approximatum, quod tunc non contingeret; tum quia causa hic calefaciens, licet produceret calorem romanum entitative sumptum, non illum produceret Romæ, seu prout Romæ præsentem. Non enim produceret, nec exigeret ejus ubicationem romanam, quæ a solo Deo produceretur, et a sola unione caloris exigetur ex suppositione bilocati corporis» (2). Aliter tamen sentire videtur Eximius Doctor, spectata sola virtute naturalis agentis (3); concedit tamen, supposito priori miraculo, magis congruum esse naturis rerum, ut Deus suppleat defectum causarum naturalium, præbeatque concursus sufficientem, ut mutationes corporis replicati in uno loco factæ, fiant in omnibus (4).

276. DICO 6.^O Homo replicatus non plus agere, nec pati potest in duplici loco, quam in uno.

«Quia potentia tum activa tum pasiva identificatur cum entitate subjecti, quæ semper est eadem, nec per bilocationem augetur. Hinc homo bilocatus (nisi Deus confortaret potentiam) non posset duo ponder aut quatuor sustinere, si non nisi unum potest unico in loco; nec posset duas visiones aut cognitiones, *singulas suis viribus aequales*, elicere, sed ad summum duas remissas, quibus æquivalet una intensa unico in loco producibilis» (5).

(1) Suarez (loc. cit., sect. 2, num. 6 seqq.), Lugo (loc. cit., num. 38 seqq.), qui varias hac de re solvit difficultates.

(2) Lossada (loc. cit., num. 33). Cfr. Lugo (loc. cit., num. 51).

(3) Loc. cit., sect. 6, num. 3 seqq.

(4) Suarez, *ibid.*, num. 9.

(5) Lossada (loc. cit. num. 34). Cfr. Lugo (loc. cit. num. 51 et 52).

Homo replicatus non plus agere potest naturaliter quam in uno solo loco.